Nobilissimo Viro
Constantino Hugenio Equiti,
Zuilichemi domino etc.
S. P. D.
Isaacus Gruterus

ACAD.
LUGD. BAT.
BIBL.

Vir Nobilissime

Intergerini parietis vasto secludimur excursu, in quantum
ra meditullio Flandriæ, militanti Auriaco infessa, distat. mi
ex hoc intervallo literarium compillaturientis sermonem, qui mole
viciniæ aditus neglexit. Seu casus hic regnat, seu chartis alias
erubescere ignaris major audaciusculi congressus ex intercapedine
securitas, in tua castrensis vitæ negotia rapior. Spes tamen est
incidere posse in parcissimi otii momenta, circumfusas laxantia
occupationes, ne licentia, publici parum reverente, peccasse dica-
tur privati rebus officiosa scriptio. Militiam enim cum mihi fortuna
designet expugnandis vitæ angustiis, respicio socialis operæ fiduciam.
In oceano lucri, discendo patrocinii forensis tyrocinio, barathro
sumptuosi hic laboris, etiam ubi ex lautis hæreditatibus deri-
vata subsidia alunt industriæ vires. Hinc rectam viam insistere
ea sæpe non patiuntur hunc hominem, qui vegeti sensus mode-
stia ferendo potius tegit, quam aliorum auribus ingerit. Ita
prout in alto ventis est expansum velum vortitur; ut obsequii hone-
state demereamur fortunæ negatum diu favorem. Cui placan-
dæ paratas, sed minus proficuas, excubias hactenus circumfero,
nisi succenturiata dignioris operæ felicitas exarmatam spem in-
stauret. Hic te, laborantibus nautis auxiliarem stellam respicio,
ea patrocinii industria validum, quæ ægris plurimorum rebus
medicam manum admovit. Varia occasionis indoles est, alienis
commodis imputandæ, ubi arbitra rerum prudentia moderatrix
dirigendo assidet negotio. Quo collimem in ætate utcunque lite-
ris insumpta, oratio satis perspicua prodit apud eum, cuius in
verborum cortice non perit attentio. Commendatoriæ ergo nostri
diligentiæ potius, quam molestæ interpellationi adscribes hunc
qualemcunque in spatioso intervallo laborem; aut refricandæ in
castrensibus turbis memoriæ, ne dubiam benevolentiæ tuæ fidu-
ciam fovere me existimes. Vale Vir Nobilissime. Hagæ-Comitis.
XIV Kal. Sept. CIↃIↃC XLV.

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Gruterus) 9
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4085

Myn Heer

Constantin Hugens Ridder
Heer van Zuilichem etc. Raad &
secretaris van syn Hooch[t]. Prin-
ce van Oranien

int leger tot Maldegem

par amis

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Gruterus) 9
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4085